

V

Valentinus Abbas a Divo Augustino per Epistolas
monitus, de sedandis Monachorum suorum Con-
troverfiis. 51
Voluntas quamlibet bona inops est, nisi eam Deus fa-
ciat excitando avidiorem. 30
Voluntatem humanam quam efficaciter & indeclina-
biliter moveat Deus, in actibus etiam mere

civilibus exercendis, 42, & seq.

De Voluntate creata a Deo efficaciter mota plura lege
V. adiutorium, & gratia.

Zumel (Franciscus) agendi potentiam completam
& proximam, per auxilium sufficiens dari diffi-
cultur. 61

F I N I S.

VIN-

VINDICIÆ VINDICIARUM
AMBROSII CATHARINI:

S E U

DE NECESSARIA IN PERFICIENDIS
SACRAMENTIS
INTENTIONE,
THEOLOGICA DISSERTATIO

Contra Domesticum Impugnatorem, vindicata,
defensa, confirmata, magna que rerum accessione
novissime, & aucta & illustrata

A F. JACOBO HYACINTHO SERRY

ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO,

Et in Academia Patavina primario Sacræ
Theologiæ Professore.

Auctor scripti hujus causam exponit.

FACULTAS APPROBATIO

Reverendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis
Predicatorum.

Theologorum Ordinis Predicatorum.

CUM, uti nobis exponitur, Reverendus Pater Magister Frater Jacobus Hyacinthus Serry Sacrae Theologiae Doctor, & in Academia Patavina primarius Sacrae Theologiae Professor Opus composuerit, cui titulus est, *Vindiciae vindiciarum Ambrosii Catharini, seu de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, Theologica dissertatio* &c. illudque praelo subicere desideret: Nos harum ferre, Noltrique officii auctoritate, quantum in Nobis est, & servatis alias de jure servandis, paterne indulgemus. dummodo ab admodum Reverendis Patribus, ac Magistris, Fratre Dominico Donato Savoldelli, Priore Conventus SS. Joannis, & Pauli Venetiarum, & Fratre Antonio Mariano Camerino, Priore Conventus S. Augustini Patavii, Provinciae nostrae S. Dominici Venetiarum, luce dignum judicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae
super Minervam, die 26. Augusti anni 1730.

F. Thomas Ripoll Magister Ordinis.

Regist. fol. 2.

F. Cajetanus Benitez de Lugo
Mag. & Socius.

Reverendissimo Patre Magistro Generali Ordinis nostri specialiter deputati ad examen libri, cui titulus est, *Vindiciae vindiciarum Ambrosii Catharini, seu de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, Theologica Dissertatio* &c. Editi ab Admodum R. P. Magistro F. Jacobo Hyacintho Serry primario in Academia Patavina Sac. Theologiae Professore; in eam curam diligenter intendimus, omnemque dedimus operam, ut demandato nobis munere integra fide defungeremur. Omnibus itaque ad examen vocatis, ritaeque perpenis, atque libratiss, nihil in hacce Theologica Dissertatione deprehendimus, quod aut fidei Catholicae, aut bonis moribus, aut Angelicae D. Thomae Doctrinae fraudi possit esse. Imo observavimus longe multa eleganter, & erudite tractata, quae Auctoris doctissimi famam, tot jam publicatis operibus bene partam egregie sustineant; dum Ambrosii Catharini systema, de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, fufiori, ac validiori descriptione defendit; & domesticum adversarium, qui priori scripto contradicere, ac refragari aggressus est, pari modestia, & eruditione refellit. Quapropter Dissertationem hanc publica luce dignissimam judicamus.

Datum Venetiis in Conventu nostro SS. Joannis,
& Pauli die 2. Octobris anni 1730.F. Dominicus Donatus Savoldelli S. T. M. Expro-
vincialis, & Prior Conventus SS. Joannis, &
Pauli.F. Marianus Antonius Camerinus S. T. M. Expro-
vincialis, & Prior Conventus S. Augustini de
Patavio.

Quartus annus est, ex quo adornatas a me Ambrosii Catharini vindicias de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, publici juris feci. Quo sensu in litteraria Republica excepta sit Opella haec nostra, ab aliis dici malim, quam si quid laudis ad me rediit, superbe illud ambitioseque jaclare; ne cui fortasse videar laureolam in mustaceo quaesivisse.

Ut cumque tamen haec mihi cefferit alea, ut suus est cuique sensus, in quo liceat abundare, domi, ac in ipsa etiam familia nostra mihi fuscitatus est adversarius, qui contradicere, ac refragari aggressus est, vulgato ante menses aliquot libello haud ita tenui, cui splendidus titulus est, totius sacrae eruditionis supellestem lectoribus spondens: *Dissertatio Theologica, Historica, Dogmatica, Scholastica, Moralis, de intentione in Sacramentorum Ministro necessaria: Auctore F. Lamberto Gaud Valrescensi, Ordinis Predicatorum, in Avenionensi Academia Doctore aggregato; necnon perpetuo in Cathedra Sancti Thomae Moralis Theologiae professore.*

Et in opere etiam Theologos omnes refellere aggrediatur, qui etate hac nostra Ambrosii Catharini sententiae patrocinium suscepere, in me potissimum stilum exercet; quod istud argumenti genus ceteris omnibus latius pertractarim: ut & hac arte de me cresceret, & in mei confutatione, altioris eruditionis, atque doctrinae famam colligeret. Quamquam iis interdum me ornet laudibus, in quibus me non agnosco; imo pereat mihi fons, si memet in iis agnoscerem.

Ne itaque quam dudum accepi causam, tam bonam probatamque bonis, tamque a juris auxiliis munitam, domestico adversario, turpi, & intemptivo silentio tradere videar, adornatarum antea Vindiciarum Vindicias, ac defensionem instituiam. Quod ut via, & ordine fiat, Israelitarum dirutos Hierosolymae muros soluta captivitate instaurantium artem, atque industriam aemulabor; qui, ut est apud Esdram *Lib. 2. Cap. 4. v. 17. Una manu sua faciebant opus, & altera tenebant gladium*, ut obfidentes hostes repellerent. Quare Theologicam Dissertationem antea editam, de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, recognoscam, incudi reddam, tertiis curis expoliam, magnaue rerum adjectione confirmabo, & illustrabo: interim vero pro re nata, ac ubi subiecta materia feret, domestici impugnatoris conatus infringam, tela retundam, machinas disjiciam, munimenta diruam, effugia demum, quae saepe ipse quaesivit, ut idus nostros declinaret, occudam.

Neque tamen dum id operis molior, animus mihi est, quae contra ceteros Catharini sententiae defensores, idem ille seu vere dixit, seu falso commentus est, impugnare: quaeque contra Alphonsum Salmeronium, Marium Scribonium, Vincentium Contensonium, Gasparem Juveninum, aliosque nonnullos toto effudit Disputationis impetu, refutare, atque refellere. Non enim quaecumque illi in ea tuenda sententia protulere, probare velim, & adamussim dicta puto: sed una me, meamque pro Catharino Dissertationem tuendi cura sollicitat. Servent si possunt alii fines suos, ego extra causae, quam suscepi terminos, non excurram.

70
P R Æ F A T I O.

I. **C**ur Theologicam hanc, de necessaria in Sacramentis administrandis intentione, Disputationem in publicum mittam, illud præsertim in causa est, quod in Ambrosio Catharino, Tridentinae olim Synodi Theologo præstantissimo, mei quoque vindicias compulsi sum adornare. Cum enim ante annos quinque supra viginti, hoc idem argumentum tractarem in Scholis; ac de externa, ut vocant, Ministrorum intentione, pro Catharino nostro ex Cathedra dicerem; illico sparsi susurri, vulgari rumores, imo & delata ad Ecclesiam Præfules furda querelæ; me sub honesto Theologi summe catholici nomine, Lutheri, atque Calvinii errores in scholas invehere, stillare discipulis noxia, periculosa eudæ dogmata, sacros Tridentinae Synodi Canones infringere, violere.

Hæc dum Ardeliones hi nostri, adversum me crebra mustitatione in speciem pietatis composita blaterant; criminationes illas omnes, quamquam atroces, ac falsas, furda aure pertranſi, atque contemsi; quod canes scirem notis non allatrare solitos, sed ignotis. Calamum, etsi valde pruriret mihi, ad depellendam injuriam, non statim acui, sed cohibui; missaque ad tempus, ex Apostolici Consilio, defensione, qua famam consulere, dedi locum iræ, livori, invidiæ, silentioque fat interim bene ultus, me rebus servavi secundis: quod ita tunc servare fecerem, rerum mearum ratio postularet.

II. Nunc vero cum primum illum in me factam emulorum impetum videam deservescere, fedari animos male turbatos, redire serenum, turpemque rerum istarum ignorationem, (unde maxime nata mustitationes, atque querelæ) remitti paululum, atque depelli: imo cum hoc ipsum Catharini systema, solis ferme Gallia Theologis olim acceptum, in Theologorum tandem Italorum gratiam, a quibus modo per sepe defenditur, videam rediisse; opportunum iusta defensionem fore locum existimavi; qua planum facerem universis, quam procul a Lutheranis, & Calvinianis erroribus distet Viri summi, de externa, ut ajunt, Ministrorum intentione, sententia; quam bene cum Tridentina Synodi Canonibus congruat, quam discretis Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum iudiciis confirmetur; quam demum luculentis rationum Theologicarum momentis, atque præditiis maniat; nihilque præ se ferat systema ingeniosissimum pietati, religioni, priscis Ecclesiae moribus non apprime consonum.

Hanc primam edendæ, vulgandæque Theologicae elucubrationis rationem habeto: quam non remordendi libido, sed tuendi honoris, & Catharini, & mei, justus, ac nobilis sensus excivit.

III. Accedit altera vulgandi Opusculi causa, quæ publicum Theologiae Professorem non movit modo, sed proceris adstrinxit: ut nempe studiosi Adolescentes, quibus ea vehementer arrisit opinio, dum ex Cathedra dicerem, quique eandem illam in publicis circulis tueri gestiunt, atque defendere, contra adversariorum oppugnationes multo validius muvantur. Quapropter Lutheranorum, & Calvinistarum errorem, a quo ne latum unguem distare opinionem hanc nostram, nonnulli fidenter effutunt, multo, quam olim in Scholis feceram, validius confutavi; Ecclesiae Catholicae dogmata, hoc de argumento, in Tridentina Synodo definitum, multo acrius defendi, ac luculentius: tum demum quæcumque Ambrosio Catharino, aut ab auctoritate, aut a ratione, aut ab historia, seu objecta sunt olim, seu obijci modo possunt, ac etiam fingi, casta illa, futilia, ac plane nulla, cumulatissime demonstravi. Imo in adversarios ipsos objecta per sepe retorſi; illosque suis ipsorum reſibus, atque tendiculis implicavi, atque conclusi.

Sequitur loco ultimo, ad susceptæ defensionis cumulum, totiusque Opellæ coronidem, deductum ex jactis inter disputandum doctrinae principiis, Corollarium, de necessaria in Sacramentis enim suscipiendis intentione, longe gravissimum: quo eandem suscipiendam ac ministrandam, quod ad ipsam attinet intentionem, rationem esse demonstratur. Id porro secunda veluti manu dum agitur, alter non abſimilis Lutheranorum, & Calvinistarum error plenius resellit; & Ambrosii Catharini doctrina magis magisque firmatur, latiusque non semel Ecclesiae iudiciis roboratur.

IV. Cæterum in eo vindicando firmandoque Systemate, nullam ego, ex ipsius Catharini, a quo vulgo creditur inventum, auctoritate petii probationem, nullam ex illius fama nominis confirmationem adduxi; quod dudum ex Tertulliano didicerim, *Veritati nil posse præscribere, non spatia temporum, non intervalla locorum, non patrocinia personarum*: nemoque nesciat, digniora multo, imo adorata terris, ac Cælo capita, in absurdas sæpe sententias abiisse. Si quis tamen Ambrosium Catharinum (cui primum *Lancelotto Polito* nomen in sæculo fuit) nosse amat; quamve privatis opinionibus posset, ex fama nominis, honorumque titulis, auctoritatem conciliare; Epitaphium consulat, tumulo ejus incisum, Senis in Etruria, in Templo D. Francisci, a Polita familia olim extructo; quo munerum ejus, dignitatumque tituli compendio recensetur.

D. O. M.

Lancelotto Polito Compe Archiepiscopo, quem sicuti primis ab annis virtutes principes complexæ sunt omnes, sic ad ætatis usque vesperam mirifice semper exornarunt. Is decimo quinto ætatis sue anno, usqueque Juris lauream adeptus, in Senensi Gymnasio publico professor, ingentia laude, nondum vigesimo quinto attingens, mille axiomatibus in celeberrimis Italiae, & Galliae Academiis strenue defensus, Romæ Consistorialis Aulae advocatus a Leone X. factus est. Tandem studia illa, & honores persequens, mutato nomine in Ambrosium Catharinum, (in honorem S. Catharine, & B. Ambrosii Salsedonii Concivium ejus, quorum erat devotissimus) ante annum trigésimum, Dominicane familie nomen dedit. Ex qua mox a Paulo III. ad Episcopatum Minoritanum evehctus, ad Sacrum Concilium Tridentinum missus, ibi in sustinendo sententiæ certamine, adversus veritatis hostes, nullis non ostendit lumen animi, consiliumque sui. Demum a Julio III. vocatus, a quo prius etiam Compe Archiepiscopus renunciatus fuerat, dum

Ro-

Romam ad amplissimos Purpureæ honores proficiscitur, honoribus major, Neapoli decessit, plurimisque ingenii monumentis posteris datus: Ætatis sue anno LXX. salutis humane MDLIII.

V. Non est tamen dissimulandum, Ambrosium Catharinum, tametsi Dominicani instituti Professorum, juratum D. Thomæ discipulum, nec fuisse unquam, nec haberi voluisse; eumque varia cum Cajetano primum, tum postea cum Dominico Soto, aliisque Scholæ Thomistica Professoribus, subsistere certamina, quæ aversum ejus animum probent. Hujus a Scholæ Thomistica defensionis causam istam fuisse ferunt: quod cum in Comitibus generalibus nostris, de Viro Theologo deligendo ageretur, qui Summam D. Thomæ, totius Ordinis nomine, ad Novitiorum studentum usum interpretaretur; amboque, Catharinum nimirum, & Cajetanum, qui Theologica eruditionis laude supra cæteros eminebant, honorificum munus ambirent, atque præferant; Catharinus Patrum suffragiis ceciderit, Cajetano posthabitus. Quo casu Catharinum spe sua decollatum dixisse addunt, non sine quodam exulcerati animi sensu, *Noluisse me habere pro Thomæ, habebitis me contra Thomam*. Quo ex tempore cæperit transfuga alienis in castris militare; seu verius nulla destinato sequi castra, nec nostra, nec hostium, sed suo in Theologicis studiis genio indulserit.

VI. Utcumque tamen res ipsa cesserit, de qua nihil præter auditum habeo, fatendum bona fide, hanc ipsam Catharini a Scholæ Thomistica defensionem, habitasque cum nostris quaestionum pugnas, lucro nobis potius esse, quam damno, quod ad istam attinet controversiam, de externa in perficiendis Sacramentis intentione. Cum enim, statim atque Episcopus Minoritensis a Paulo III. designatus est, de multis exoticis opinionibus, ab ipso defensus, ac propugnatis, litem illi movisset Theologus nostri Ordinis celeberrimus; imo cum ipsimet Pontifici summo expostulationis libellum obtulisset, quo eum de quinqueaginta circiter temerariis, ut ajebat, & a communi Theologorum sensu alienis erroribus accusabat; de externa tamen in perficiendis Sacramentis intentione, ab eo tam publice, tam solempniter, edito jam Opusculo defensata, omnino tacuit; nullamque ei hujusmodi systematis ab eo propugnati occasione litem intentavit. Extat enim vero inter Catharini Opuscula Romæ anno 1552. typis edita, errorum illorum indiculus, libello supplicii eidem Paulo III. ad sui purgationem oblato insertus; in quo ne unum quidem observare licet, qui quaestionem illam de Ministrorum intentione, ulla ratione contingat. Quod certe argumento est, Catharini ea de re sententiam ne levi quidem erroris suspitione laborasse; imo summo tunc Theologorum consensu fuisse susceptam. Alias stilo minime pepercisset fervidus actor, & a censuris, quas tanta in eum libertate distringebat, minime temperasset: quique in illius scripturionibus vulgarisque libellis, culicem ut vulgo dicitur excolabat, camelum haudquaquam deglutisset.

Errant qui putant, Dominicum Soto, alterum Tridentinae Synodi Theologum, illum ipsum fuisse, qui eam Ambrosio Catharino fabam cuderit. Quamquam enim averso illi esset animo Sotus postea, multasque cum illo quaestiones pugnas habuisset, in ipso Concilio Tridentino; invisito tamen argumento liquet, non eum fuisse, qui hanc illi coram Paulo III. litem moverat. Quandoquidem Dominicum Soto diu Catharino supervixit, utpote qui ad annum usque 1560. vitam produxit, tunc demum extinctus Salmanticae die 15. Novembris; qui vero libellum expostulatorium adversus Catharinum obtulit Paulo III. præmortuus est Catharino. Id ipsemet innotuit initio Praefationis, libello suo expurgatorio præfixæ, dum eum subinde typis edidit Romæ anno 1552. cum gratia, & privilegio Julii III. R. P. *Quum ego, ait ille ea in præfatione, Tridenti agerem, & Romæ de promotione mea ad ordinem Episcopatus ageretur, quidam non ignobilis Magister, (cujus nomen bonoris ipsius gratia, & ut parcam manibus, non commemoro) zelo successus libellum obtulit Summo Pontifici Paulo III. ubi solum nudus catalogus quinqueaginta articulorum, quos ex Opusculis nostris excerpterat, descriptus erat sub hoc titulo, Errores Catharini. Mortuus ergo tunc erat ille, cujus manibus parvum voluit Catharinus, ipsius nominis suppressione.*

VII. A quovis tamen intentata illi sit odiosissima lites, ex qua tam elegans in gratiam vulgari systematis, de externa ut ajunt intentionis sufficientia, momentum alicuique; aliam sub idem tempus pugnam Tridenti sustulit Catharinus, quæ majorem in ejus gloriam cessit: certiorumque ipsius sententia confirmationem, & approbationem obtinuit. Narrat quippe Cardinalis Pallavicinus lib. 9. *Historia Concilii Tridentini cap. 6.* quo tempore controversia, de necessaria in perficiendis Sacramentis Ministrorum intentione, inter Catholicos Theologos Tridenti ferretur, literariam concertationem inter Catharinum illic agentem, & sacri Palatii Apostolici Magistrum Romæ commorantem, excitatam fuisse; eodemque oppositis invicem libellis acriter litigasse: quo casu per Epistolam die 16. Octobris 1546. a Legatis Sacri Concilii rogatus est Summus Pontifex, Palatii sui Magistrum monere, ut ab inferenda alteri molestia desisteret; affirmantibus vitam, & doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Ad quæ si hodie Catharini oſores attenderent, ab audaci, & inconsulta sententia ipsius, quam hic vindicandam aggredimur, criminatione temperarent: cum scirent, primos illius reprehensores Concilii Tridentini Legatorum auctoritate fuisse repressos, ac etiam silentes iustos.

Nec enim ad eludendam tam luculentam, quam dedere Legati Pontificii, illius doctrinae commendationem, reponi potest; de alio forte doctrinae capite, quam de quo loquimur modo, fuisse tunc Catharinum inter, & Apostolici Palatii Magistrum, oppositis invicem libellis acriter disputatum. Quandoquidem ex hoc ipso facto colligit Historicus Eminentissimus, *Catharini sententiam de externa Ministrorum intentione, Tridentinis Patribus non fuisse suspectam; nec illis fuisse in animo eam proſcribere*: quod perperam ille colligeret, nisi de hoc ipso doctrinae capite concertatio fuisset.

VIII. Cæterum quæ modo in lucem prodit Vindicarum istarum Editio altera, Catharini systema tuetur multo validius atque disertius, contra Avenionensis Academiae Professorem emeritum, qui priorem opellam nostram, ut lectorem ante monuimus, confutare, atque refellere aggressus est: quæ fuerant a nobis ante probata validioribus firmat rationibus atque momentis: quæ fuerant adversariorum objecta diluta, novis responsis infringit, atque convellit: quæ fuerant recentium quorundam Theologorum præclusa suffugia, aliis oculis diverticulis occupat, magna rerum accessione ubique facta, additque dictis, ac disputatis ornamento. Larvarum etiam scribillator, Divi Augustini reprehensor ac censor, quem mollior tantum & in transcurso in prima editione resellere, (quandoquidem novo contra me disseminato clanculum libello repungit) multo acrius, ac validius refutatur.

Ipse tamen pretium referet certaminis hujus, Qui cum victus erit, mecum certasse feretur.

V I N.

VINDICIÆ VINDICIARUM
AMBROSII CATHARINI

Seu de Necessaria in perficiendis Sacramentis intentione

THEOLOGICA DISSERTATIO

Contra domesticum impugnatores vindicata, defensa, confirmata, magnaue rerum accessione novissime aucta & illustrata.

CAPUT PRIMUM.

Protestantium error de Ministrorum intentione refertur: Ecclesia Catholica fides proponitur.

II. Ecclesia Catholica fides de Ministrorum intentione probatur atque defenditur.

III. Protestantium momenta ex historiis Ecclesiasticis petita diluuntur.

IIV. Aliis Heterodoxorum momentis occurritur.

V. Ambrosii Catharini systema, de externa ut ajunt intentione proponitur.

VI. Catharini sententia Concilii Tridentini auctoritate firmatur: Ecclesie legibus, moribus, & usibus stabilitur; latis olim ac nuper iudiciis comprobatur.

VII. Hec eadem sententia Doctoris Angelici suffragio, Romanorumque Pontificum iudiciis confirmatur.

VIII. Divus Augustinus Catharini sententia preformator atque assertor ostenditur.

IX. Idem Catharini Systema rationibus Theologicis confirmatur.

X. Satisfit Objectis in contrarium fieri solitis; ac primum quidem ex Concilii Tridentini auctoritate petitis.

XI. Petita ex D. Augustino & D. Thoma recentium Theologorum momenta refelluntur.

XII. Objecta ex Romane Inquisitionis Decreto difficultas eliditur, expeditur.

XIII. Momentum a prisca Patrum Orientalium historia petitur eliditur, exsistatur.

XIV. Ducta a ratione adversus Catharini Systema momenta reliqua diluuntur.

XV. Domestici impugnatoris momenta ab Auctoritate expediuntur.

XVI. Eiusdem impugnatoris momenta a ratione convelluntur.

XVII. Quae & qualis in Sacramentis administrandis, eadem in suscipiendis desideratur intentio.

XVIII. Suscepti, sine ulla prorsus consensione & intentione etiam externa, Sacramenti Ordinis exempla duo producuntur, & explicantur.

XIX. Novae refutati modo larvati Scriptoris quarela repelluntur.

XX. Externa in suscipiendis Sacramentis intentio sufficit, ut rata sint validaque, quoad Characteris impressionem.

XXI. Num parentum infidelium consensus desideretur, ad Baptismum ipsorum filii conferendum?

XXII. Satisfit Objectis contra geminas regulas superiori capite datas.

XXIII. Possintne filii Infidelium baptizari ipsorum parentibus consentientibus, imo & postulantibus, si postulent illi alio fine, quam ut Christiani Baptismate fiant, sed ut morbo curentur.

VINDICIÆ VINDICIARUM
AMBROSII CATHARINI:

S E U

DE NECESSARIA IN PERFICIENDIS
SACRAMENTIS
INTENTIONE,
THEOLOGICA DISSERTATIO

VINDICATA.

DE Intentione, in Sacramentis, non pie quidem, ac religiose, sed rite, valideque administrandis, suscipiendisque necessaria, dicere iustus, quantum ad studiosa Juventutis, quae mihi in disciplinam tradita est, institutionem satis sit, faciam pro solito meo more docendi. Nempe quid ea de re Catholica Fides habeat, primo omnium loco ponam, & contra hujus aetatis Heterodoxos quam brevissime potero explicabo, atque defendam. Tum quid in Catholicis Scholis opinione sit liberum, multo fusius tractandum aggrediar; celeberrimumque Ambrosii Catharini, Tridentinae olim Synodi Theologi Systema, de externa, ut vocant, in perficiendis Sacramentis, intentione, quo Theologicae nunc Scholae undique personant, bono in lumine ponam, propugnabo, defendam, & ab inconsultis quorundam censuris pro modulo vindicabo. Opus porro faciam eo lubentius, quod ea summi Viri sententia, quae ante annos circiter octoginta conclamata, ac deplorata videbatur, quod a paucis intelligeretur, in Scholarum tandem honorem venerit, & in litterariis congressibus, quibus jam saepe defenditur, Eruditorum, a quibus coepit intelligi, plausum accipiat.

CAPUT PRIMUM.

Protestantium error, de Ministrorum Intentione refertur: Ecclesiae Catholicae Fides proponitur, explicatur.

I.  Ametsi in re Sacramentaria, multis capitibus errent novae Reformationis Architecti, nusquam tamen stolidiori labuntur errore, quam ubi Sacramentorum Administratos tanquam truncos, & stipites nobis occentant, qui rem sacram perinde fameludent, tametsi nil cogitent, nil animo intendant, imo vero sacra Mysteria palam irrideant, atque deludant.

Hoc nobis doctrinae portentum Lutherus vendidit lib. de Captivitate Babylonica Cap. de Baptismo, & toto passim libro de abroganda Missa privata, quem anno 1534. iratis diis in publicum misit. Erroris suffragatores habet Joannem Calvinum in Antidoto contra Concilium Tridentinum, ad Canonem 11. Sessiois septimae, Tilmannum lib. de sexcentis Pontificiorum erroribus, Kemnitium 2. parte Examinis; omnesque geminae sectae Professores, quorum haec una vox est, una sententia, Sacramentum re ipsa perfici, tametsi Minister perficere non intingat, imo ritum omnem aperto joco, ac ludo derideat.

Nobis Catholicis videtur aliter. Nullum Sacerdotum Tom. VI.

eramentum existimamus, nisi Minister serio peragat, velitque re ipsa id agere, quod vera facit, & frequentat Ecclesia. Quod ne forte a nonnullis perperam accipiat, neve sub aequivoco laboret Catholica veritas, nonnulla praemonere opus est, quae agendam gravissimae controversiae lucem afferant.

II. Recondenda in primis venit, atque mente defigenda multiplex intentionis acceptio. Cum enim intentio propositum voluntatis sit, quo Minister Sacramentum conferre deliberat, triplex intentio feceritur: habitualis nempe, quae prompta quaedam facilitas est operandi ex habitu, seu infusus ille sit, seu etiam acquisitus; aut si mavis prona voluntas est operis faciendi, in actum tamen nullatenus fluens, de quo nulla est plerumque cogitatio, vel memoria. Sic viri ebrii, largiorique potu depositi, ac plane recocti, ac quandoque incogitantes peragunt, quae usu antea frequentabant. Actualis intentio praesens animi applicatio, & attentio est ad opus, quod peragitur. Virtualis demum illa dicitur, quae ex actuali intentione praecedente, nec per contrariam intentionem, nec per notabilem temporis moram interrupta, in homine perseverat.

Habitualement intentionem minime sufficere Catholicis docent, quod etiam in dormientibus, & ebriis reperitur. Actuale non requiri, ultro concedunt, quod haec ob praecipites animi evagationes, in potestate nostra pierumque non sit. De virtuali, adversus Lutheranos, & Calvinistas, tota lis est.